De incommodis quibusdam atque vitiis in Zumptii grammatica latina animadversis imprimis §§. 538 — 545.

QUA DISSERTATIONE

AD MEMORIAM

GUILIELMI ERNESTI

DIE XXX OCTOBRIS MDCCCXXXVIII

PIE RECOLENDAM

ET AD AUDIENDAM ORATIONEM SOLEMNEM

IN

GYMNASIO GUILIELMO-ERNESTINO

HABENDAM

SUMMA CUM OBSERVANTIA INVITAT

CAROLUS EDUARDUS PUTSCHIUS

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIUM LIBERALIUM MAG. SOCIETATIS GRAECAE LIPSIENSIS SODALIS GYMNASII VIMARIENSIS PROFESSOR.

VIMARIAE

TYPIS ALBRECHTI, TYPOGRAPHI AULICI.

MDCCCXXXVIII.

De incommodis quibusdam atque vitiis in Zumptii grammatica latina animadversis

imprimis §§. 538—545.

Fere viginti nunc sunt anni, ex quo primum Zumptii grammatica linguae latinae in lucem emissa et laetis undique acclamationibus excepta est. Sed favor ille plaususque, quem hic liber initio tulerat, sic ut plerumque fit, imminuta novitatis gratia, magis magisque deferbuit, paucisque annis interiectis multi iam libro non tam commendando quam emendando operam esse dandam censuerunt, deque variis eius incommodis in imbuendis latinae linguae cognitione tironibus conquesti sunt. Ac mihi profecto ipsi, quoties in tradendis artis grammaticae praeceptis ad paragraphos quasdam et paginas huius libri venio, solet accidere, ut inde nescio quid molestiae ac paene taedii percipiam. Quod si quaeritur, quid tandem sit in illo libro, quod displiceat, nec solum discentibus sed interdum etiam docentibus tantum difficultatis atque molestiae afferat, haec potissimum habeo quae respondeam. Primum, quod non a me solo vehementer desiderari puto in Zumptiani libri parte syntactica (non enim nisi ad hanc omnis haec nostra spectabit oratio), est larga satis exemplorum eorumque idoneorum et discentium captui accommodatorum copia. Haec enim

in omni institutione valent plurimum, verissimumque illud Senecae (epist. 1, 6): *longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla.* In quibus afferendis parcus, in eligendis minus circumspectus fuit Zumptius. Multis enim paragraphis observationes illustrantur exemplis vix singulae singulis; saepenumero autem exemplum, quo praeceptum aliquod vel confirmari, vel demonstrari evidenter possit, ne unum quidem reperitur. Quae vero attulit exempla, ea partim e Broederi aliorumve libris grammaticis in suum transscripsit, partim suo ipse delectu adiecit nova, auctore, unde quodque depromptum sit, tum adnotato, tum etiam omisso. Quam inconstantiam equidem, ne morosior videar, non graviter reprehenderim, quamquam multum interest praeceptoris semper fontem statim nosse, unde quaeque hausta sint, ut adire eum ipse locumque percurrere et examinare possit integrum. Sed multo magis dolendum est, quod ex his exemplis alia claudicant, nec omni ex parte ad rem demonstrandam quadrant, alia, per se quidem idonea, ad intellectum tironum tamen obscuriora sunt et spinosiora. Eo enim in genere diligenter videndum est, ut exemplis utamur non tantum rei ipsi convenientibus, sed iis, quae cum propter verborum perspicuitatem simplicitatemque structurae, tum etiam propter rerum modo suavitatem modo gravitatem facile se eorum, qui discunt, mentibus atque adeo memoriae insinuent.

Huic, quod tetigi, incommodo coniunctum est alterum, tironibus non minus damnosum, ambiguitatem sermonis dico nimiasque in proponendis explicandisque legibus grammaticis ambages verborum. Omnes enim leges, non solum rei publicae sed etiam artis grammaticae, breves esse oportet et dilucidas, quo facilius ab imperitis teneantur. Iam vero Zumptius tam vago et diffuso tamque impedito interdum utitur dicendi genere, ut tirones praecepta eius nec facile intelligere neque custodire satis possint memoria. Quod malum unde natum sit, non obscurum est. Studuit enim Zumptius non solum, quid quaeque lex postulet, exponere, sed etiam, quoties posse sibi videbatur, legis rationem reddere constructionumque causas eruere conatus est. Hanc vero deductionem philosophicam, quam dicunt, non, ut praestabat, adnotationis instar ipsius legis formulae adiecit, sed cum ea in unum orationis tenorem contexuit *).

---

*) Ad sententiam meam planius explicandam exempli causa supponam paragraphum Zumptii 533, ubi de verbis timendi ita agit: „*Hiebei ist aber ein besonderer lateinischer Sprachgebrauch zu merken, nach welchem die Verba* fürchten *und* besorgen *als solche angesehen werden, in denen eine Absicht*

Quae quum ita sint, neque haec uberior Zumptii grammatica, neque eius epitome, quae ne ab ipso quidem Zumptio adornata esse videtur, meo quidem iudicio, tironum usui est conveniens, sed commendetur licet adolescentibus in cognitione linguae latinae iam provectioribus. Sed etiam his vereor ne difficultatem molestiamque facessat aliud huius grammaticae vitium, quod tertio loco mihi perstringendum est. Cernitur hoc in perverso saepe ac perturbato rerum, de quibus agit Zumptius, ordine, ita ut ea, quae sunt per se coniunctissima, hic illic dispersa legantur, alia autem intrusa sint, quae ad rem praesentem omnino non pertineant *). Quartum denique, quod saepe me male habuit, grammaticae huius vitium in praeceptis aliquot aut mancis aut omnino falsis est positum. Nullum autem totius grammaticae caput his quattuor, quae exposui, incommodis atque vitiis magis laborat, quam id, in quo de coniunctivo agitur; quod tantam praebet supplendi, reprehendendi emendandique materiam, ut mihi totum perstringere et ad amussim quasi exigere non permittant commentationis huius angustiae **). Itaque nunc quidem satis

---

enthalten sei. Man lässt also ne *darauf folgen, wenn etwas verhütet werden soll, oder wenn man wünscht, dass etwas* nicht *geschehe, z. B.* metuo, ne frustra laborem susceperis; *dagegen folgt* ut, *wenn man den Wunsch hat, dass etwas geschehen möge, z. B.* vereor, ut mature venias. *Deutsch sagt man gewöhnlich umgekehrt (wie bei den Verbis des Denkens): ich fürchte dass du vergeblich gearbeitet hast, und ich fürchte, dass du nicht zur rechten Zeit kommst. Also kann man im Allgemeinen wohl sagen: nach* metuo, timeo, vereor *steht* ut *für unser* dass nicht, ne *für* dass." Haec, quae eodem ordine leguntur in epitome huius grammaticae, etsi verissima sunt, non tamen tironum usui satis conveniunt, quibus, antequam ad philosophandum adducantur, brevis atque certa legis formula opus est, quae quidem facile possit mandari memoriae. Sic enim sentio, potiora grammaticae praecepta, antequam sive e logicis legibus certae cuiusdam linguae sive omnino e mentis humanae natura repetantur, ediscenda esse pueris diligentissime. Itaque multo satius erat in fronte totius paragraphi collocare praeceptum hoc: *Nach den Verbis* metuo, timeo, vereor *und andern Wörtern der Furcht und Besorgniss, wird das deutsche* dass *durch* ne, dass nicht *durch* ut *oder* ne non *ausgedrückt*, ac deinde demum, adnotationis instar, causam et originem huius discrepantiae utriusque linguae, repetendam illam quidem e diversa Romanorum et Germanorum eandem rem cogitandi ratione, ipsius praecepti formulae adiicere. Quod praeceptum quum Zumptius sub finem tantum paragraphi commemoret potius quam proponat, fieri non potest, quin tironum animi aut fluctuent, quae potissimum verba e tota hac paragrapho ediscenda sint, aut, si totam ediscant, iusto nimis onerentur.

*) Hanc rem ne solus videar vitio dare viro de grammatica latina meritissimo, afferam ea, quae prorsus ex animi mei sententia duobus abhinc annis scripsit Hermannus Schmidt, Gymnasii Friedland. rector, in libello qui legatur dignissimo *doctrinae temporum verbi graeci et latini expositio historica, particula II:* „Ceterum toto illo loco, quo a Zumptio de coniunctivo futuri agitur, omnia adeo mixta et perturbata sunt, ut discipuli ea legentes non possint non confundi plane et, quae ille intelligi velit, nescii esse. Orsus enim exponere rationem, qua a Romanis coniunctivus futuri soleat exprimi, quum ad coniugationem, quam vocat, periphrasticam venerit, immemor propositi omnes eius coniunctivorum formas explicat, tumque subito ad futurum exactum transit ita, quasi hoc quoque coniugationi illi adnumerandum sit."

**) Aliquos errores hoc in capite a Zumptio admissos notavit iam decem abhinc annis Ernestus Tromphellerus in dissertatione, quam de particula cum edidit (Coburgi, 1828). Cuius viri doctissimi

habui eas tantum capitis huius paragraphos accuratius examinavisse, in quibus agitur de coniunctionibus *quo minus* et *quin* §§. 538—545, quae posterior sane particula propter obscuritatem varietatemque significationis, teste Gellio (Noct. att. 17, 13), iam veterum quorundam crux fuit interpretum. Ac primum quidem hoc magnopere displicet, quamquam is error communis est Zumptio cum aliis grammaticis permultis, quod §. 538 huic coniunctioni praeter significationem *ut non* altera etiam tribuitur, qua pro *qui non*, *quae non*, *quod non* ponatur. „Quin," Zumptius inquit, *steht nach negativen Sätzen, zu denen aber auch die unbestimmten Fragen mit* quis *und* quid *gehören, die nur im Ausdruck von affirmativen Sätzen mit* nemo *und* nihil *verschieden sind,* 1) *für* qui non, quae non, quod non; 2) *für* ut non, *dass nicht, oder ohne dass, ohne zu, jedoch so, dass diese andern Ausdrucksarten ebenfalls gebraucht werden.*" Quod quamquam ambigue dictum est, ita ut qui obiter haec legant, etiam sic accipere possint verba, tamquam quin non per se duplicem vim habeat, sed duplici tantum modo reddendum sit germanice, tamen ex iis, quae Zumptius §. 539 adnotavit, facile perspicitur, eum sic iudicare, ut quin non solum reddendum sed etiam explicandum censeat dupliciter. Nam postquam ita coepit §. 539: *wir haben oben gesagt*, quin *stehe nur für den Nominativ* qui, quae, quod *mit* non; *und diess muss allerdings als Regel festgehalten werden, obgleich es für den Accusativ* quod non *bei Cicero* in Verr. lib. 4, 1 *gefunden wird:* nego in Sicilia quidquam fuisse, quin conquisierit, *wobei die Gleichheit der Form beider Casus Einfluss gehabt haben mag*," statim ita pergit: „*Aber die Stellen, wo es für* quo non, cui non *stehen soll, lassen die Erklärung durch* ut non *zu.*" Unde patet, eos locos, ubi quin pro qui non, quae non, quod non, quem non, quam non, quod non positum sit, Zumptio iudice, non permittere, ut quin per ut non explicetur, eam ergo coniunctionem videri Zumptio illis locis non modo aliter reddendam germanice, sed aliter etiam latine accipiendam. Nec tamen, cur ita iudicet, satis intelligitur. Sic in verbis,

---

observationes bonae frugis plenissimas tantum abest ut Zumptius in suos usus converterit, ut etiam nunc in iis, quae de coniunctione quum praecipit, eadem deprehendatur ambiguitas et discrepantia, qua confundi tirones ac perturbari neminem fugerit, qui in tradenda pueris grammatica hoc libro usus erit duce. „Zumptius autem (liceat enim ipsa haec Tromphelleri verba afferre, quippe quae cum iis, quae supra de tertio grammaticae huius vitio monui, plane consentiant) eo maxime ab opportunitate rei bene gerendae exclusus esse videtur, quod res, natura copulatas, errore quodam divellit, neque singula, de quibus explicavit, ratione ac distributione sub uno adspectu posuit."

quae leguntur apud Ciceronem de fin. 4, 13: *nulla profecto* (est natura), *quin suam vim retineat a primo ad extremum*, coniunctio quin non minus commode explicari potest per *ut non*, quam alio Ciceronis loco, Tuscul. 5, 26: *nullum sapienti esse tempus*, *etsi uratur*, *torqueatur*, *secetur*, *quin possit exclamare: quam pro nihilo puto.* Non facilius enim ad *nullum esse tempus*, quam ad *nulla est natura* suppleri potest cogitatione demonstrativum aliquod, velut *eiusmodi.* Tamen secundum Zumptii illum canonem quin posteriore loco, ubi pro *quo non* videtur esse positum, explicandum est per *ut non*, priore vero loco accipiendum utique pro *quae non!* At Zumptius, si constare sibi voluisset, aut (quod veritati est consentaneum) negare debebat, coniunctionem quin usquam eadem prorsus vi esse positam ac pronomen relativum cum negatione non coniunctum*), aut eadem vis concedenda erat illi coniunctioni etiam tum, quum pro casibus obliquis pronominis relativi cum non videtur esse posita **). Quamquam non me latet, quid Zumptium ad hanc inconstantiam permoverit. Quemadmodum enim loci, ubi quin per nominativum pronominis relativi cum non explicari potest, permulti reperiuntur, ita admodum exiguus est eorum numerus, ubi id per casus obliquos eiusdem pronominis possit fieri. Hac re verissima, quae perfacilis est ad explicandum, Zumptius male ratiocinando abusus est. Nam a *posse* ad *esse*, uti logici dicunt, non valet consequentia, multoque minus licet concludere, id quod *possit* fieri, fieri *necessario.* Unde patet, neque ex multitudine locorum, ubi coniunctionem quin per *qui non* explicare possumus, cogi posse, hanc coniunctionem sic explicandam esse revera, neque ex penuria locorum, ubi quin per *cuius non*, *cui non* etc. potest explicari, concludi posse, hanc particulam revera non esse sic interpretandam. Quare nisi ex ipsa particulae huius natura demonstraveris, eam per *qui non* explicandam esse necessario, ista, quam ei tribuunt, significatio dubia erit atque incerta, licet ita *posse* eam explicari

---

*) Negavit hoc recte Billrothius (*lateinische Syntax für die oberen Klassen gelehrter Schulen*, §. 139): „quin *ist in allen Fällen, wo es vorkommt, aus* qui, *wie* (*dem alten Abl. von* qui, quae quod) *und der Negation 'n zusammengezogen. Es heisst also, da es nur mit vorhergehender Negation vorkommt, so dass (jener Negation gemäss) nicht . . sollte.*"

**) Quod fecit Weissenbornius (*Lateinische Schulgrammatik von Wilhelm Weissenborn, Professor am Gymnasium zu Eisenach; Eisenach*, 1838) §. 393: „*Nach den negativen Ausdrücken* nemo est, nullus est, nihil est, quis, ecquis est, *wird, wenn auch der Nebensatz negativ ist, statt des besonders bei Cicero oft vorkommenden* qui non *auch* quin *gebraucht. Am häufigsten findet dieses Statt, wenn das Relativ im Nominativ stehen müsste, seltener, wenn es im Accusativ oder einem andern Casus stehen würde.*"

exemplis sexcentis confirmaveris. Non enim, quomodo *possit*, sed quomodo *debeat* explicari unumquodque vocabulum, investigantes, veram ac genuinam vim eius assequimur. Sed haec de prima paragraphi 538 parte, in qua de duplici vi coniunctionis quin praecipitur. Non probabilior est postrema, ubi quando haec, quando illa significatio locum habeat, exponitur. „*Der erste Fall*,“ ita pergit Zumptius, „quin *für das Pronomen mit* non, *findet besonders Statt nach* nemo, nullus, nihil, vix, aegre — est, reperitur, invenitur; *der andere Fall* quin *für* ut non, *lässt sich nicht auf einzelne Ausdrücke beschränken, aber vorzüglich zu beachten ist die Redensart* facere non possum quin *und passivisch* fieri non potest quin, *wo durch die doppelte Negation der positive Sinn stärker ausgedrückt wird: ich kann nicht unterlassen, ich muss, und passivisch, es kann nicht unterbleiben, es ist nothwendig, dass. So auch* nulla causa est, nihil causae est, quin hoc faciam, „*ich bin befugt diess zu thun.*“ Quibus verbis exempla subiecta sunt haec quattuor: *Quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus?* C. *Nihil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit.* Terent. Heaut. 4, 2, 8. *Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant.* Cic. in Verr. 4, 43. *Facere non potui, quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam.* Cic. epist. 6, 13.

Hunc exemplorum numerum, qui in epitome huius grammaticae etiam imminutus est dimidio (ibi enim duo tantum leguntur), quis est, qui ad rem tironibus illustrandam sufficere arbitretur? Deest enim exemplum, ubi vix, deest, ubi aegre particulam quin adsciscat, deest denique exemplum, ubi quin per *ohne dass*, *ohne zu*, reddi possit germanice. Sed multo etiam gravius incommodum tironibus inde nascitur, quod Zumptius duo illa locutionum genera, quorum post unum prior, post alterum posterior coniunctionis quin significatio locum habeat, non accurate satis distinxit. Nam postquam eas fere attulit locutiones, quibus praegressis coniunctio quin pro *qui non*, *quae non*, *quod non* accipienda sit, alterius generis locutiones, post quas coniunctio quin per *ut non* explicanda sit, neque enumerat, neque (quod certe debebat, si enumerare longum erat) breviter definiendo circumscribit, et, ne quid confusionis deesset, loquendi formulis ad genus posterius pertinentibus *facere non possum quin* et *fieri non potest quin* tamquam similes adiecit alias, ubi quin particula pendet a locutionibus primi generis, neque tamen per non cum nominativo pronominis relativi explicari, nec reddi potest germanice per *dass nicht*, *ohne dass*, *ohne zu*. Etenim quum ita

pergat Zumptius: „*So auch* nulla causa est, nihil causae est, quin hoc faciam; *ich bin befugt diess zu thun*,“ sine dubio has loquendi formas tamquam tales affert, in quibus posterior illa particulae quin significatio obtineat. Atqui *nulla est causa, quin hoc faciam* nemo facile vertat: *es ist kein Grund vorhanden, dass ich dieses nicht thue*, quod, si non falsum, certe duriusculum est, sed potius: *es ist kein Grund (für mich) vorhanden, dieses nicht zu thun.* Sed etiamsi Zumptius huic rei prospiciens commemorasset, particulam quin, ubi latine pro *ut non* ponatur, verti posse etiam per *nicht zu*, tamen alia longe gravior superest difficultas. Nam si coniunctio quin in hac loquendi formula: *nulla est causa quin hoc faciam* pro ut non accipienda est, haec ipsa formula redarguit priorem Zumptii observationem, qua particulam quin post locutiones *nulla . . . est*, *nihil . . . est* pro *qui non*, *quae non*, *quod non* poni docuit. Quae quum ita sint, Zumptius in distinguendis locutionibus, quibus praegressis coniunctio quin pro *qui*, *quae*, *quod non* aut pro *ut non* accipienda sit, eadem videtur libidine esse grassatus atque in distinguenda vi coniunctionis ipsius duplici. Quod etiam ex aliis exemplis perspicitur. Nam quod ipse attulit: *nihil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit*, potest illud quidem reddi: *nichts ist so schwierig, was nicht durch Untersuchen ausgemittelt werden könnte*, sed non minus recte dixeris: *dass es nicht . . . ausgemittelt werden könnte.* Porro Ciceronis illud, et ipsum a Zumptio allatum, *nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant,* ubi quin non per *qui non*, sed per *ut non* explicandum esse liquet, si paulo verecundius protuleris, *nunquam* in *vix unquam* mutato, eandem particulae quin vim remanere apertum est. Zumptius vero, qui quin particulam post *vix . . . est* pro *qui non* accipiendam esse docet, hoc ipso praecepto in eam necessitatem adducitur, ut, si modo praeceptum ipse suum sequi voluerit, illo loco Ciceronis particulam quin, si *nunquam* legitur, per *ut non*, si *vix unquam* substituatur, per *qui non* explicet. Quod ineptum est.

Multo maiorem etiam offensionem habet sequens paragraphus (§. 540), ubi de tertio particulae quin usu agit Zumptius his verbis: *Hievon ist der Gebrauch des* quin *nach* non dubito, non est dubium, non ambigo, *ich zweifle nicht, und nach vielen Ausdrücken, welche eine Entfernung, Verhinderung oder Unterlassung bezeichnen, ebenfalls mit einer Negation:* non abest, *oder* nihil abest, paulum, non procul, haud multum abest; non, vix, aegre abstineo;

tenere me *oder* temperare mihi non possum, non impedio, non recuso, non *oder* nihil praetermitto, *und ähnlichen. Denn in dieser Verbindung abundirt die Negation, welche in* quin *liegt, und nimmt nur die vorhergehende Verneinung wieder auf (wie im Griechischen* μὴ οὐ *vor dem Infinitiv), weshalb sie im Deutschen in der Regel nicht ausgedrückt, und* quin *durch dass oder durch zu mit dem Infinitiv übersetzt wird. Man sagt Lateinisch* non dubito, quin domi sit, *Deutsch genau genommen: ich zweifle nicht, dass er nicht zu Hause sein sollte, aber gewöhnlich blos: ich zweifle nicht, dass er zu Hause ist. So mit den andern oben angegebenen Ausdrücken:* non multum abest, quin miserrimus sim: *es fehlt nicht viel, dass ich nicht der allerunglücklichste Mensch sein sollte, oder: dass ich der unglücklichste Mensch bin;* nulla mora fuit, quin decernerent bellum, *sie zögerten nicht den Krieg zu beschliessen. Deshalb kann, weil die Negation* quin *nur zur Form der Rede gehört, wenn der abhängige Satz wirklich verneint werden soll, noch ein* non *hinzugesetzt werden. So findet sich wenigstens* non dubito quin non *nicht selten, was leicht erklärt werden kann, sobald wir* non dubito quin *durch „ich glaube" übersetzen, z. B.* Cic. in Verr. 1, 40: in quibus non dubito, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possim, *ich glaube, dass ich dem Vorwurfe der Nachlässigkeit hiebei nicht entgehen kann, vgl.* ad Att. 5, 11 *zu Ende.* Cic. Off. 3, 3: dubitandum non est, quin nunquam possit utilitas cum honestate contendere, *man muss überzeugt sein, dass das Nützliche nie mit dem Guten streiten kann. Uebrigens kann bei denjenigen Ausdrücken, welche ein Hinderniss ausdrücken (nach der folgenden Regel) für* quin *auch* quo minus *gesetzt werden.* Dux ille Graeciae nusquam optat, ut Aiacis similes habeat decem, sed ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat quin brevi Troia sit peritura. Cic. de Sen. 10. Quis igitur dubitet, quin in virtute divitiae sint? Cic. Ego nihil praetermisi, quantum facere potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione avocarem. C. Ph. Infesta concio vix inhiberi potuit, quin protinus suo more saxa in Polemonem iaceret. Curt. 7, 6. Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse poenas fateretur. Tac. Ann. 6, 6.

Omittam nunc quidem paucitatem exemplorum, in quibus nullum est, quod ad locutiones *non, vix, aegre abstineo, tenere me, temperare mihi non possum, non impedio, non recuso* pertineat, omittam etiam ambiguitatem verbo-

rum: *Deutsch genau genommen: ich zweifle nicht*, d a s s *er* n i c h t *zu Hause sein* s o l l t e, *aber gewöhnlich blos: ich zweifle nicht*, d a s s *er zu Hause* i s t; quae verba etiam sic possunt intelligi ab imperitis, quasi Germani accuratius et rectius dicant: *ich zweifle nicht*, d a s s *er* n i c h t *zu Hause sein sollte*, et quasi haec dicendi ratio non ita quidem frequens at permissa tamen sit. His incommodis, exemplorum dico paucitatem et ambiguitatem orationis, facile mederi potest praeceptoris dexteritas: sed latet praeterea hac in paragrapho error gravissimus, isque positus est in iis, quae praecipiuntur de negatione supervacanea. Etenim quum particula q u i n post locutiones illas a Zumptio commemoratas plerumque non reddi soleat nisi per d a s s, equidem non repugnarem, si Zumptius dixisset, post illas locutiones negationem in particula q u i n latentem v i d e r i supervacaneam, sed quum dicat: *in dieser Verbindung abundirt die Negation*, ac deinde pergat: w e s h a l b *sie im Deutschen in der Regel nicht ausgedrückt wird*, facile perspicitur, eum sic existimare, negationem in q u i n latentem non prima tantum specie, germanicae linguae ratione habita, sed revera esse supervacaneam; idque etiam inde apparet, quod addit: *und sie nimmt nur die vorhergehende Verneinung wieder auf*, *wie im Griechischen* μὴ οὐ *vor dem Infinitiv.* Quibus verbis si hoc sibi voluit Zumptius, negationem n o n, praegredientem illam quidem verbis d u b i t a n d i in enunciationibus, qualis haec est: *non dubito*, *quin domi sit*, particulâ q u i n repeti, haud vero tolli, miramur sane, qui fiat, ut hic usus tantum post verba impediendi, dubitandi etc. obtineat, non vero etiam in enunciatis quale hoc est apud Ciceronem Verr. 4, 52: *nemo est vestrum*, *quin*, *quemadmodum captae sint a Marcello Syracusae, saepe audierit;* ubi negatio, quae in vocabulo *nemo* inest, per particulam q u i n non repetitur, sed tollitur, ita ut *nemo non audivit*, idem sit quod *quisque audivit.* Cf. Cic. Planc. 28: *nunquam illos adspicio, quin huius meritum in me recorder*, ubi *nunquam non* est *semper*. Sed multo etiam improbabilior fit illa Zumptii opinio comparantibus nobis structuram verborum impediendi in iis enunciatis, ubi negatio nulla praegreditur. Nam quum haec verba etiam tum, non quidem q u i n particulam, sed plerumque *ne* vel *quominus*, ergo aliquam certe negationem adsciscant, ista negatio pariter dicenda esset s u p e r v a c a n e a, praesertim quum et ipsa germanice exprimi non soleat, velut apud Ciceronem ad fam. 13, 2: impedior verecundia, *ne* te pluribus verbis rogem, *ich werde durch Bescheidenheit verhindert*, *dich . . . zu bitten.* Atqui

negatio non ita potest excusari hoc loco, ut in iis enunciationibus, quae per quin particulam efferuntur, propterea, quod negatio, quae particulae ne (vel quominus) ope repeti possit, omnino nulla praegreditur. Sed quamquam Zumptius §. 543, ubi de coniunctione quominus et ne sermo est, germanicae linguae consuetudinem, qua negationes ne et quominus post verba impediendi exprimi non solent, ne verbo quidem tetigit, neque omnino hoc loquendi genus explicat atque illustrat, tamen virum sagacissimum particulas ne et quominus verba impediendi comitantes non magis pro supervacaneis habuisse crediderim, quam particulam ne verba metuendi comitantem, etsi haec quoque germanice non reddatur nisi per *dass*. Iam vero, si negatio (ne vel quominus) post verba impediendi posita non est supervacanea in enunciationibus affirmativis, non sane consentaneum est, eam, etsi alia forma indutam (quin), habere pro supervacanea post eadem verba in enunciatis negantibus. Quodsi conceditur, negationem in particula quin latentem post verba impediendi ne in negantibus quidem enunciationibus esse supervacaneam, sequitur profecto, aut verba impediendi segreganda esse prorsus ab iis verbis, post quae negatio in quin latens supervacanea esse contenditur, aut videndum est, an particula quin post verba dubitandi et cetera huius generis eodem iure possit vindicari. Frustra enim provocat Zumptius in similem Graecorum consuetudinem dicendi, qua μὴ οὐ ante infinitivum pariter usurpari dicit ad negationem, quae praegressa sit, non tollendam, sed denuo inculcandam. Cuius consuetudinis exempla quamquam Zumptius attulit nulla, facile tamen intelligitur, eum cogitavisse de locis eiusmodi, qualis est ille apud Sophoclem Trach. 90: οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ οὐ πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι. Electra 132: οὐδ' ἐθέλω προλιπεῖν τόδε μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στοναχεῖν πατέρ' ἄθλιον. Herodot. 9, 12: οὐ δυνατοὶ αὐτὴν ἴσχειν εἰσὶ Ἀργεῖοι μὴ οὐκ ἐξιέναι. et apud Xenophontem Anab. 3, 1, 13: τί ἐμποδών, μὴ οὐχὶ πάντα τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας ὑβριζομένους ἀποθανεῖν; At his similibusque locis, μὴ οὐ, quod Zumptius cum particula quin comparat, non una est negatio sicut quin, sed, quod latuisse miror virum doctissimum, negatio duplex. Proprium est enim huius locutionis, ut sententiam consequatur negantem eamque per particulam οὐ denuo inculcet quasi οὐκ ἔστιν οὕτως sit dictum, quam ob rem Reisigius*) particulam οὐ, ut quae peculiarem quodammodo enunciationem

*) Vid. commentationes eius criticas ad Sophoclis Oedipum Coloneum p. 238.

efficeret, accentu intendi arbitrabatur oportere (οὔ). Sed hanc inculcandi vim particula οὐ habet, non vero μή, quae particula, sicut in latino sermone ne et quominus, ponitur etiam post affirmativas enunciationes quae per verba impediendi efferuntur, ubi negatio, quae repeti et inculcari possit, nulla omnino praegreditur. Nam pro κωλύω σε τοῦτο ποιεῖν, *impedio (te) quo minus hoc facias*, non minus graece dicitur κωλύω σε μὴ τοῦτο ποιεῖν, quod adeo usitatius est *). Itaque poterat quidem Zumptius dicendi formulam non impedio quin hoc facias comparare cum graeca οὐ κωλύω σε μὴ τοῦτο ποιεῖν, modo ne dixisset, particulis μή et quin negationes οὐ et non ante κωλύω et impedio positas repeti; sed οὐ κωλύω σε μὴ οὐ τοῦτο ποιεῖν et non impedio quin hoc facias, quae Zumptius comparari vult, plane sunt dissimilia. Nam graecae particulae μή respondet latina quin, sequenti vero particulae οὐ nihil est quod respondeat in latino exemplo, cui si post quin insereretur non, sensus evaderet plane contrarius illi, qui verbis inest οὐ κωλύω σε μὴ οὐ τοῦτο ποιεῖν. Nam *non impedio quin hoc non facias*, sicut Zumptius ipse significavit sub finem §. 540, accipiendum est in hanc sententiam: *ich hindere dich nicht, dies nicht zu thun*, hoc est *ich hindere dich nicht, dies zu unterlassen, du kannst dies immerhin unterlassen*; graecum autem οὐ κωλύω σε μὴ οὐ τοῦτο ποιεῖν idem est quod nostrum *ich hindere dich keinesweges dies zu thun, du kannst es immerhin thun.*

Restat nunc quidem, ut libere dicam quod sentio de ordine, quo Zumptius totum hunc locum, qui est de particula quin, explicuit. Nam postquam §. 541 exposuit de altera verborum dubitandi structura, quae quidem apud alios minus probatos scriptores etiam accusativum cum infinitivo adsciscunt, deinde autem de significatione *ich trage Bedenken, ich stehe an*, denique de interrogationibus a dubitandi verbo suspensis, paragrapho demum 542, quae paragraphus est totius huius loci (de particula quin) extrema, pauca quaedam de origine aliisque huius particulae significationibus praecipit: Quin *steht in einer andern Bedeutung mit dem Indicativ, fragweise und auffordernd, gemäss seiner ursprünglichen Zusammensetzung aus* ne *(gleich* non) *und dem alten Ablativ* qui, *hier aber nicht vom Relativo, sondern vom Fragworte* qui *etc.* Quae originatio, mea quidem sententia, ponenda erat potius in fronte totius disputa-

*) Cf. Plato Lys. p. 207 E.: βουλόμενοί σε μακάριον εἶναι διακωλύουσι τοῦτο ποιεῖν ὃ ἂν βούλῃ. Herodot. VIII, 144: πολλά τε γάρ καὶ μεγάλα ἐστὶ τὰ διακωλύοντα ταῦτα μὴ ποιέειν, μηδ' ἢν ἐθέλωμεν. Vid. Hermann. Adnotatt. ad Viger. p. 811.

tionis, quo facilius inde variae huius particulae significationes possent erui. Haec plane est sententia Aulli Gelli, Noct. Att. 17, 14, 10: *hanc vero particulam, de qua dicimus, nisi quis didicerit compositam copulatamque esse, neque vim tantum coniungendi habere, sed certa quadam significatione factam, nunquam profecto rationes ac varietates istius comprehensurus est.* Quoniam autem vim et usum huius particulae in iis enunciationibus, ubi negatio, quam continet, supervacanea videtur Zumptio, multo facilius comprehendunt tirones, simulac naturam struendique rationem verborum impediendi perspectam habent, multo erat satius, si Zumptius, antequam de quin ageret, disseruisset de particula quominus, praesertim quum huius particulae externa quoque forma ad coniunctionem quo, de qua paragrapho antecedente egit Zumptius, multo propius accedat. Sed in iis ipsis, quae praecipit Zumptius de hac particula deque verbis hanc particulam adsciscentibus (§§. 543 et 544), neque respexit usum loquendi Germanorum, qui negationem in *quominus* latentem exprimere non solent, neque causam rationemque huius discrepantiae utriusque sermonis aperuit. Sunt enim Zumptii verba haec:

„§. 543. Quo minus (*für* ut eo minus, *damit nicht, dass nicht) steht meist nur nach Verbis, die ein Hinderniss ausdrücken, wo ebenfalls auch* ne, *und wenn eine Verneinung vorhergeht, auch* quin *gesetzt werden kann. Solche Verba sind vorzüglich:* defendere *(abhalten)*, deterrere, impedire, intercedere, obsistere, obstare, officere, prohibere, recusare, repugnare; *es giebt aber noch viele andere Ausdrücke, die denselben Sinn enthalten, z. B.* stat *oder* fit per me, *es liegt an mir*, non pugno, nihil moror, non contineo me, *u. s. w.* Cimon nunquam in hortis custodem imposuit, ne quis impediretur, quominus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Nep. Cim. 4. Parmenio, quum audisset, venenum a Philippo medico regi parari, deterrere eum voluit epistola scripta, quominus medicamentum biberet, quod medicus dare constitueret. Curt. 6, 40 (10).

§. 544. *Bei* impedire, deterrere, prohibere, recusare *steht aber auch zuweilen der Infinitiv, z. B.* Caes. B. G. 3, 22: neque adhuc repertus est quisquam, qui mori recusaret; Cic. de off. 2, 2: quid est igitur, quod me impediat, ea, quae mihi probabilia videantur, sequi? in Verr. 5, 45: prohibentur parentes adire ad filios, prohibentur liberis suis cibum vestitumque ferre; de off. 3, 11: male, qui peregrinos urbibus uti prohibent; *auch einmal bei* Cic. pro Rosc.

Am. 52 *ut:* Di prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur. *Dies scheint aber vermieden werden zu müssen. Für* quo minus *findet sich zuweilen auch* quo secius (s. §. 283) *gesetzt, besonders in der Schrift* ad Herennium." Ita Zumptius. Quid ergo mirum, si tirones hac grammatica duce verba Curtii: *deterrere eum voluit, quominus medicamentum biberet* fere semper sic reddere conantur germanice: *er wollte ihn abschrecken, dass er nicht die Arzenei nähme?* Quod haud scio an usus dicendi noster non ferat, qui flagitat, ut sic dicamus: *er wollte ihn abschrecken, die Arzenei zu nehmen.* Quid porro mirum, si iidem tirones in eam inducuntur opinionem, infinitivum post verba *impediendi, deterrendi, prohibendi, recusandi* si non vetitum, certe minus esse legitimum?

Quae quum ita sint, nunc quidem conabor patrio sermone ea fere proponere, quae de particulis quo minus et quin, mihi si conscribenda esset grammatica, praeciperem.

§. 1. Quominus *steht meist nur nach Verbis, die ein Abhalten, Verhindern etc. ausdrücken, wie* deterrere, intercludere, recusare, prohibere, impedire etc., *und wird im Deutschen, wenn das Subject des abhängigen Satzes schon im Hauptsatze, sei es als Subject oder als Object (Accusativ) enthalten ist, durch* zu *mit dem Infinitiv übersetzt, z. B.* Cic. Tusc. 1, 38: mors non deterret sapientem, quominus in omne tempus rei publicae suisque consulat; ad Att. 8, 8: intercludor dolore, quominus ad te plura scribam; Nep. 15, 8: Epaminondas non recusavit, quominus legis poenam subiret; ad fam. 12, 5: hiemem credo adhuc prohibuisse, quominus de te certum haberemus, quid ageres maximeque ubi esses; de fin. 1, 10: nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus; de senect. 17: non aetas impedit, quominus et ceterarum rerum et imprimis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis.

